



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicae, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Erotemata Ecclesiastica

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Cap. CXXXVII. De dispensatione subreptitia, seu obreptitia, & invalida.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94604](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94604)

250 Erotem. Eccl. Cap. CXXXVII. De Dispensation. &c.

nium hoc initietur cum consanguineo. Tamburin. d. cap. 7. §. 2. num. 20. & 21.

7. *Quer.* Quarta causa de aetate excedente, quomodo probetur? *Resp.* Si mulier excedat annum 24. nam tunc pia mater Ecclesia, ne mulier inupta remaneat, concedit, ut contrahat cum consanguineo, quamvis non in gradibus propinquis, sed remotioribus. Tamburin. ibidem num. 22.

8. *Quer.* Quomodo quinta causa iustificetur? *Resp.* Quod ad probandam familiam illustrem, nobilitas est deducenda à Patre, non à matre tantum, ut notat Sanchez lib. 8. disp. 35. num. 25. & Pyrrh. Corrad. dict. lib. 7. cap. 2. à num. 115. & seqq.

9. *Quer.* Sexta, & septima causa quomodo iustificentur? *Resp.* Servando ea, quæ circa ipsas in Brevis Apostolico exprimuntur, de quibus agit Sanchez dict. lib. 8. disp. 19. & Tamburin. ubi supra num. 24. & 25. Vincentius de Justis de Dispensat. Matrimonial. ac Thomas de Rosa de Executoribus Litterarum Apostolicar, qui sunt recentes, sed doctissimi Tractatus.

CAPUT CXXXVII.

De Dispensatione subreptitia, seu obreptitia, & invalida.

1. *Quer.* Quot modis Dispensatio evadat subreptitia, seu obreptitia, & invalida? *Resp.* Duobus modis. Primò, si verum taceatur. Secundò, si falsum exprimatur. Sanchez lib. 8. disp. 21. num. 2. & Tamburin. dict. lib. 8. tract. 2. cap. 8. num. 1. 2. & 3. Ubi advertit, duplicem esse causam, ob quam Pontifex concedit dispensationem; unam, quæ appellatur finalis, sine qua non concederetur dispensatio; & alteram, quæ dicitur impulsiva, qua deficiente, concederetur quidem dispensatio, sed non tam facile, vel promptè. Igitur subreptio resultat, si verum taceatur, vel falsum exprimatur circa causam finalem, non etiam si circa causam impulsivam, quod latius docet idem Sanchez dict. lib. 8. disp. 21.

2. *Quer.* An nulla sit gratia, si Orator taceat repulsam antea sibi datam super eadem supplicatione? *Resp.* Negativè. Sanchez dict. lib. 8. disp. 22. num. 14. & Diana part. 8. tract. 3. resol. 54. cum Tamburin. d. lib. 8. de Matrim. tract. 2. cap. 9. ubi id procedere docet, etiam si data repulsa à Superiore, fiat recursus ad inferiorem habentem facultatem dispensandi, & nihil ei notificetur de prædicta repulsa.

3. *Quer.* Si Antonius obtinuerit à Pontifice dispensationem ducendi Bertam consanguineam, & postea eum pœniteat, & velit ducere Catharinam, aliam suam consanguineam, & petat novam dispensationem, teneaturne narrare primam dispensationem obtentam? *Resp.* Cum distinctione; si prima dispensatio sit inutilis ex sola mutatione animi ipsius Antonii, tenetur narrare illam Pontifici, aliàs secunda erit subreptitia; quia non videtur Pontifex dispositus ad concedendas multiplices dispensationes ar-

bitrarias ipsi Antonio. At si Bertam duxisset, & postea mortua esset, vel Religio. nem ingressa, quia per eam non stetit, quin prima dispensatio inutilis fieret, petendo alteram dispensationem, non tenetur narrare primam. Diana part. 8. tract. 3. resol. 55. Tamburin. d. cap. 9. §. 2.

4. *Quer.* Si Titius impetraverit dispensationem de impedimento Criminis ob uxoricidium; deinde occidat secundam uxorem, ut tertiam ducat, & petat similem dispensationem de secundo uxoricidio, obligaturne mentionem facere prioris dispensationis? *Resp.* Affirmativè, quia difficilius est concedere gratiam secundo delicto, quam primo; & ita tenent Sanchez, Pontius, & alii, quos citat Tamburin dict. cap. 9. §. 2. num. 12. quamvis contrarium innuat Illiucci, cui ipse non adhaeret.

5. *Quer.* An teneatur exprimere primam dispensationem Titius, qui eam obtinuit super Voto castitatis ad contrahendum matrimonium; si mortua uxore, iterum petat dispensationem à voto? *Resp.* Non teneri, quia in hoc non est delictum, & prima dispensatio suum habuit effectum. Tamburin. ibidem num. 15.

6. *Quer.* Si Orator dubitet de validitate primæ dispensationis, & pro quiete suæ conscientiae velit impetrare consimilem secundam dispensationem, teneaturne narrare primam? *Resp.* Negativè, quia cum eadem sit, si prima erat invalida, non nocet; si valida, hæc secunda est superflua. Tamburin. ibidem num. 16. & 17.

7. *Quer.* Si quis habeat simul plura impedimenta ad contrahendum matrimonium, teneaturne ea omnia simul exponere Pontifici, ut super eis dispenset; vel poterit super unoquoque petere separatim dispensationem? *Resp.* Utrumque licet, & validè fieri posse secundum Doctores: at tutius esse ea omnia impedimenta simul proponere, ut Pontifex cognoscat qualitatem, & quantitatem gratiæ, quam concedit. Suarez De Legib. lib. 6. cap. 24. Pontius De Matrim. lib. 8. cap. 17. §. 4. Tamburin. dict. cap. 19. §. 3. ubi id limitat, si alterum impedimentum possit tolli sine dispensatione, ut in voto, quod est irritabile; vel si unum impedimentum sit occultum, puta affinitas ex copula illicita, nam hoc poterit tacere in Dataria, & recurrere ad Sacram Pœnitentiarum, cui tamen erunt significanda impedimenta, super quibus Dataria est dispensatura, vel dispensaverit. Ita etiam Averfa quæst. 19. sect. 5. vers. Juxta has rationes.

8. *Quer.* Si quis nulliter, & de facto contraxisset matrimonium cum sua consanguinea, vel deinde obtinere dispensationem Pontificiam ad idem validè contrahendum, obligaturne exponere, se jam de facto contraxisse? *Resp.* Cum distinctione. Vel primò contraxerat cum mala fide, id est, sciens, extare illud impedimentum, & tenetur exponere, aliàs nulla erit dispensatio; vel cum bona fide, ignorans illud impedimentum, & non tenetur exponere. Sanch. d. lib. 8. disp. 25. n. 24. Quamvis contrarium conetur docere Dian. p. 10. tr. 11. res. 44. cui

cui non adheret Tamburin. *dict. cap. 9. §. 4.* ubi subdit, melius esse exponere etiam, ubi cum bona fide fuisset contractum, quia ipsa iuvaret dispensationem, dummodo tamen facta fuissent denunciationes.

9. *Quer.* An necesse sit exponere qualitates extrinsecas sponſorum, puta nobilitatem, divitias &c. *Resp.* Negative, nisi forte de eis fuerint interrogati à Dataria. Tamburin. *dict. cap. 9. §. 5.*

10. *Quer.* In dispensatione super Affinitate ex copula illicita, an sit explicandum, quòd copula habita sit cum matre sponſæ, seu cum sorore? *Resp.* Necessarium videri explicare. Tamburin. *ibidem §. 6. ubi num. 2.* advertit, quòd si quis plures consanguineas sponſæ suæ carnaliter cognovisset, de singulis teneretur mentionem facere. Quidquid dicat Texeda apud Dianam *part. 8. tract. 3. resol. 60.*

11. *Quer.* An sufficiat dispensatio obventa super affinitate ex copula illicita cum consanguinea sponſæ, si antequàm matrimonium fiat, iterùm sponſus carnaliter cognoscat eandem consanguineam sponſæ? *Resp.* Cum distinctione. Si nova commixtio carnalis sequatur, antequàm Delegatus exequatur dispensationem, ea sufficit; at si illa expedita, iterùm carnaliter copulentur, opus erit nova impetratione, quia dispensatio data non tollit supervenientem affinitatem ex nova copula. Sanchez *dict. lib. 8. disp. 24. num. 7. & 8.* Diana *dict. part. 8. tract. 3. resol. 65. vers. Sed quia.* Sed hic advertendum est, quòd Rustici post habitam copulam cum consanguinea impetrant dispensationem in forma pauperum, in qua committitur separatio: facta separatione ex decreto Executoris Apostolici, iterùm copulam carnalem habent; Quid agendum in hoc casu? *Resp.* Si copula est publica, iterùm separandi; & obtinendum est aliud Breve dictum *Perinde valere.* Si est occulta, impetratur Breve à Pœnitentiaria, ut docet Corrad. *de Dispensat. libr. 8. cap. 5. à num. 37.* Rosa *de Executor. Litt. Apost. part. 1. cap. 4. num. 227.*

12. *Quer.* Si sponſi conjuncti sint inter se duplici differenti gradu; videlicet Antonius sit in tertio, Berta sit in quarto; eritne necesse exprimere Pontifici utrumque gradum? *Resp.* Affirmative, in impedimentis consanguinitatis, & affinitatis ex copula licita, ob motum proprium S. Pii Quinti. *Ascendens &c. 20. August. 1566.* Negative autem in ceteris impedimentis, ac in affinitate ex copula illicita in foro conscientie tantum, nisi sit primus gradus. Tambur. *d. cap. 9. §. 7. ubi num. 5.* reddit rationem de hac necessaria explicatione gradus proximioris, & remotioris; quia scilicet, quamvis solus remotior attendatur, tamen ad tollenda scandala voluit Pontifex, ut unico, & eodem contextu declararetur, proximiozem gradum non obitare, dum remotior dispensatur.

13. *Quer.* An tacere proximiozem gradum in dispensatione inferat aliquam poenam? *Resp.* Si gradus proximior tacitus non sit primus, nulla alia poena incurritur, nisi peccatum mortale, tam ab Executore Delegato, quam

Doct. Clericali Tom. II. Lib. VII.

ab Oratoribus scienter tacentibus. Pyrrh. Corrad. *dict. lib. 7. cap. 7. num. 59* ubi advertit procedere, cessante scandalo; aliàs esset impetranda declaratoria, quamvis dispensatio adhuc remaneat valida. Pontius *De Matrim. lib. 8. cap. 27. num. 27.*

14. *Quer.* Si consanguinei habuerint inter se incestuosam copulam carnalem, an teneatur eam exprimere Papæ petentes dispensationem super consanguinitate? *Resp.* Alios negare, & alios affirmare, sed affirmantium sententiam esse tutiorem, & praxi, ac stylo Cancellariæ conformem. Pont. Sanchez, & alii, quos allegat Tamburin. *dict. cap. 9. §. 8. ubi num. 4.* limitat, quando copula esset occulta, nam tunc satis est recurrere ad Pœnitentiariam; & num. 6, nisi in Breve Apostolico addit hæc clausula, *Dummodo copula non intercesserit.* Vel, *Dummodo non intercesserit sub spe facilioris Dispensationis;* tunc enim Executor tenetur, Oratores interrogare, qui si vetum occultaverint, nulla erit Dispensatio. Diana *part. 4. tract. 4. resol. 135.* & in *Coordinato part. 3. tract. 2. resol. 113.* ubi tenet, valere dispensationem, tacita copula, quando ea est occulta; & ad contrarias rationes, quas allegat Corrad. *de Dispensat. lib. 8. cap. 1. num. 33.* respondet, ea procedere, ubi copula sit publica, & manifesta.

15. *Quer.* Quando dispensatio sit nulla ob expressionem falsi? *Resp.* Quando falsitas expressa tangit causam finalem, secus si impulsivam dispensationis; ut dictum est supra *quest. 1.* & docet Tamburin. *dict. lib. 8. de Matrim. tract. 2. cap. 10.*

16. *Quer.* An sustineri possit Dispensatio, si fuit expositum falso unum impedimentum pro altero, v. g. quòd oratores sint in quarto gradu consanguinitatis, cum sint in quarto Affinitatis? *Resp.* Negative, Pyrrh. Corrad. *d. lib. 7. cap. 5. à num. 71.* & Tamburin. *d. cap. 10. §. 1.* qui refutat Dianam *part. 1. tract. 10. resol. 37.* & *part. 8. tract. 3. resol. 64.* ac Portellum contrarium opinantes.

17. *Quer.* Quid dicendum, si conjuncti in remotiori gradu dixissent se conjunctos in proximiori? *Resp.* Pyrrhum Corradum docere, dispensationem esse invalidam; & multo magis, si conjuncti in proximiori expressissent remotiorem. Pyrrh. *d. lib. 7. cap. 5. num. 94.* At in primo casu sustineri posse dispensationem, putat Sanchez *lib. 8. disp. 24. num. 17.* & Tambur. *d. cap. 10. §. 2.* Sed in praxi litteræ remittuntur Romam pro correctione.

18. *Quer.* An valeat dispensatio, si falsa sit causa expressa, non autem effectus cause, v. g. dictum est, Antoniam carere dote, & nisi dispensetur, remanere innuptam; ceterum dotem habet, at remaneret innupta, nisi dispensetur, quia deformis est, vel diffamata; vel grandæva? *Resp.* Non valere, quia debet exprimi causa vera, ad quam Papa respicit, non autem ad effectum. Tambur. *d. cap. 10. §. 3.* ubi respuit Dianam, & ab eo adductos DD. *part. 10. tract. 11. resol. 42.*

19. *Resp.* Quid juris, si duæ sint expositæ cause, quarum una est vera, & altera est falsa? *Resp.* Si causa falsa potius reputetur im-

li 2

pul-

pulsiva, quàm finalis, videtur sustentanda dispensatio; nam Papa creditur dispensare ob aliam causam veram. Porro, si talis casus in facto contingat, tutius foret, ad Papam recurrere denuò, & de falsa causa eum certum reddere, quia periculosum est, & timendum de nullitate dispensationis. Castropal. tom. 1. tract. 3. disp. 6. punct. 16. §. 5. num. 2. & Tambur. ubi supra §. 4.

20. *Quer.* An vitietur dispensatio, si error sit in nomine supplicantium, vel in eorum cognomine? *Resp.* Secundum Theologos in puncto juris dispensationem non vitari, quando constat de corpore personarum supplicantium. Sanchez lib. 8. disp. 21. num. 37. & Diana part. 8. tract. 3. resol. 63. At de stylo Curiae, & in foro externo eam vitari, Pyrrh. Corrad. dict. lib. 7. cap. 5. à num. 2. & seqq. ubi docet, in tali casu esse recurrendum per novam supplicationem ad Papam; quia neque Regens Cancellaria potest mutare nomina oratorum post signaturam ad fraudes evitandas; & notat Tamburin. ibid. §. 4.

21. *Quer.* Quid faciendum, si error contingat in expressione Diocesis? *Resp.* Nullam remanere dispensationem, donec per novas litteras, dictas *Perinde Valere*, convalidetur; quod facilliter obtinetur in Curia. Pyrrh. Corrad. d. lib. 7. cap. 5. à num. 24. & Tamburin. d. cap. 10. §. 6. ubi num. 3. non laudat Pontium, & Dianam part. 8. tract. 3. resol. 64. contrarium asserentes.

22. *Quer.* An sit subreptitia dispensatio, si quis exprimat sub dubio impedimentum, quo certus est detineri? *Resp.* Subreptitiam esse. Tamburin. d. lib. 8. de Matrimon. tract. 2. cap. 11.

CAPUT CXXXVIII.

De Clausulis principalibus, quæ inseruntur in Dispensationibus Matrimonialibus pro foro externo.

1. *Quer.* A quo sit exequenda Matrimonialis dispensatio? *Resp.* Ab eo tantum, cui est directa. Idcirco, si directa sit Vicario, non potest Episcopus eam exequi, neque Vicarius, si fuisset Episcopo directa. Sanchez lib. 8. disp. 27. Pyrrh. Corrad. lib. 7. cap. 4. num. 37. & Tamburin. ubi supra cap. 12. §. 1. num. 2.

2. *Quer.* An Vicarius, relicto officio Vicariatus, possit expedire dispensationem jam inceptam? *Resp.* Cum distinctione: si Commissio Apostolica erat Personalis, videlicet directa ei per nominationem suæ personæ, poterit expedire; si verò commissio erat realis, id est, directa Vicario tanquam Vicario, & tunc non poterit expedire, quia spectat hoc munus ad Vicarium successorem. Pyrrh. Corrad. ubi supra num. 36. Sperell. decis. 31. & Tamburin. d. cap. 12. §. 1. num. 5. qui notat, quod si in Commissione dicatur *Tibi Joanni Vicario &c.* censetur commissio personalis.

3. *Quer.* Si Sede Vacante commissio sit dispensatio Episcopo viciniori, an poterit expedire, si ante expeditionem Sedes facta sit

plena per adventum novi Episcopi? *Resp.* Negative, si res jam integra est, videlicet, si litteræ dispensationis nondum fuissent viciniori præsentatæ; secus autem, si jam adortus esset executionem; & hoc servari de stylo, qui vult, ut in primo casu recurratur ad petendam novam commissionem. Pyrrh. Corrad. d. lib. 7. cap. 4. num. 25. & Tambur. dict. cap. 12. §. 1. num. 8. & 9.

4. *Quer.* An Vicarius Capituli Sede Vacante possit expedire dispensationes Matrimoniales, quas inexpeditas reliquit Vicarius Episcopalis? *Resp.* Negative, etsi Vicarius Capitularis foret eadem persona, quæ Vicariatum Episcopi gerebat; ea ratione, quia Papa nunquam vult dirigere hinc Vicariis Capitularibus dispensationes; nam parum fidei de eorum scientia, & sufficientia, ut notat Pyrrhus Corradus d. lib. 7. cap. 4. num. 11. Ansell. in Praxi Episcop. lib. 4. cap. ult. Et ita docent omnes Canonistæ, quos allegat, & sequitur Tambur. d. §. 1. num. 11. & 12. respuendo nonnullos modernos Theologos in contrarium scribentes absque legali fundamento.

5. *Quer.* An Executor Delegatus in dispensatione Matrimoniali possit executionem alteri subdelegare? *Resp.* Vel vult subdelegare examen testium, vel aliquam informationem capiendam? & potest. Vel ipsam actualem dispensationem, id est, nudum ministerium? & non potest, quia requirit factum ipsiusmet Delegati. Barbof. Var. decis. 17. num. 184. Sanchez lib. 8. disp. 27. num. 43. & Tambur. dict. §. 1. num. 16. & 17.

6. *Quer.* Quid juris, si post expeditam dispensationem Executor compererit, se errasse? *Resp.* Si erravit in faciendo, poterit tanquam Ordinarius remedium querere, & interim separationem conjugum mandare. Si verò in negando; & post pronunciatam dispensationem invalidam, cum jam functus sit officio suo, opus erit oratoribus recurrere Romam. Tamburin. ibid. num. 19. 20. & 21.

7. *Quer.* Cum in Commissione Apostolica mandetur executori, ut de veritate se informet, an informationes sint per eum sumendæ judicialiter, vel extrajudicialiter? *Resp.* Utroque modo ad sui beneplacitum. Sanchez lib. 8. disp. 35. num. 15. Quod si extrajudicialiter agat, poterit eas etiam in aliena Diocesi sumere; prout etiam in omni casu dispensare, quia dispensatio non est actus contentiosus, sed voluntariæ jurisdictionis. Tamburin. dict. cap. 12. §. 2. num. 2. & 3.

8. *Quer.* De quo tempore sit causa narrata ob dispensationem verificanda? *Resp.* Plura de hoc esse Doctorum dicta; sed communem, & magis tutam resolutionem esse, quod causa prædicta verificetur tempore, quo Executor est dispensaturus; adeò, ut si antea causa fuisset vera, & tempore dispensationis complendæ per Executorem non sit amplius vera, dispensatio remaneat invalida. Et contra licet causa non fuisset vera ab initio, si tempore expediendæ commissionis verificetur, valeret dispensatio. Sanchez dict. lib. 8. disp. 30. Pyrrh. Corrad. dict. lib. 7. cap. 2. num. 32. & 33. & Tamburin. dict. cap. 12. §. 2. num. 8. & 9. ubi cum Suarez de Legibus lib. 8. disp.